



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Meditationum mortis plurimum ad peccata euitanda conferre. Colloq.  
XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)



quendam, & tandem cælorum regnum venale coemendum. Adhæc autem quantum memoria mortis faciat, incredibile propè est: dum enim brevitatem & incertitudinem vitæ, & quantum bene mori referat consideramus, adduntur nobis calcaria ad præparationem celebrandâ, iterq; reiectis & amotis omnibus impedimentis ingrediendum; Primum itaque hoc agit vt vitia fugiamus, & virtutes amplectamur. Nunc quoniam tu sancta quadam curiositate singulatim semper huius doctrinæ capita pensiculatus examinari vis, per partes quæ in genere diximus consideremus.

---

*Meditationem mortis plurimum ad peccata euitanda conferre.*

COLLOQVIVM XXVII.

**Q**UIS QVIS itaque virtutis amore flagras, & timori DEI studere desideras, modumq; singularem aliquem peccata euitandi discere concupiscis,

I 4 fre-



frequentibus supplicijs Deum venerare, quo studiosè mortis memoriam habere possis & cōservare: est enim hæc reuera lorica & armatura validissima contra omnia genera vitiarum. Docet autem hanc nos Deus docet experientia, docet ratio, ut acutissimo affectu eam excolamus & prosequamur. Sapiens certè cum varia & compluria diuina documenta, quibus vita nostra ad virtutum normam posset cōformari, præscripsisset, subiungit: *Memorare nouissima; & in æternum non peccabis.* Eorum aut quatuor admodum sunt, Mors, Iudicium, Paradisus, & Infernus. Mors princeps est ac porta reliquorum: Vnde in eorundem meditatione primam etiam esse cōuenit quemadmodum in ordine prima reperitur. Ait ergo Sapiens, Si felicitatem vitæ tuæ cursum moderari vis, si cōsilia quæ tibi suppedito in effectum deducere, si à peccatis alienissimum esse, statue tibi ob oculos nouissima tua. Et primo quidem loco mortem quæ in ordine primam se offert. Hæc enim instar stimuli tibi erunt. quibus

*Eccles. 7.*

*40.*

*Quatuor  
hominis  
nouissima.*



bus ad benefaciendum inciteris, & velut potentissimo freno in stadio ac gyro rationis retinearis. Porro Deus qui hoc documentū seruo suo tradiderat, longo ante tempore eodem fine idipsum exercuerat: Nam postquam protoplastum Adamum creauisset, donis que naturalibus & supernaturalibus, ac quemadmodū etiam vero simile est, regni cælestis promissione ad se amandum, & leges diuinas obseruandum obligauisset, mortis comminationem adiunxit dicens: *Ex omni ligno Paradysi* *Gen. 3.17*  
*comede, de ligno autem scientia boni & mali ne comedas: in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce tibi hic bonorum copiam, illic omnium malorum comminationes: vnum amoris erat, & vehementissimè ad virtutis exercitium attrahebat: Alterum timoris, fortius multò hominem & potentius à peccato abstinerebat. Et quoniam magnus nomotheta præclare intelligebat, rem se habere cum natura mutabili, leuissima, & peccato obnoxia: voluit eam in officio suo continere, non amore:

I 5 tantum



*Respubl.  
metu ma-  
lorum &  
spe bono-  
rum con-  
seruatur.*

tantum, sed etiam timore; atque eius  
omnino rei, quæ si Aristoteli credi-  
mus, omnium terribilium terribi-  
lissima est. Atque hi omnino duo-  
rum generum sunt, quibus omnium re-  
rum publicarum salutem, & legum  
authoritatem inuiolatam conser-  
uari posse, ipsi etiam mundi sapien-  
tes agnouerunt: Et certè si meliores  
eius excogitari potuissent, nunquam  
adeorum modulum & libellam om-  
nes Respubl. benè constitutæ fuis-  
sent stabilitæ: Et si aliquando necesse  
adfuissent, non continuo ruina, nec  
excidium fuisset subsecutum. Verum  
progenitores nostri & protopla-  
sti suscipere deique præceptum id fer-  
tes, nec profundè satis mortis time-  
rem memoriæ insculpentem, conse-  
stim laxatis frenis in peccatum  
mortem pariter proruerunt. At ce-  
ce tibi hoc flagitio etiam designato  
salutarem illam mortis medicinam  
rursus adhibuit, quâdo Adamum &  
vniuersos qui ab eo descendunt erant  
alloquens ait: *Quia audisti vocem  
uxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo  
præceperam tibi ne comederes: male-*

*Gen. 3.17  
18.19.*



dicta sit terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris. En tibi itaque condemnationis sententiam quam Deus contra Adamum in Paradyso tulit; ecce tibi mensam quam illi stravit, nec nisi funeralibus epulis, & laboris ac mortis ferculis oneravit. Ecce tibi Dominum iustissimè irritatum verborum asperrimorum, durissimorum & acerbissimorum repetitionibus detonantem, *Terræ, laboris, maledictarum spinarum, carduorum, sudoris, & pulveris*. Ac si dicat, Quoniam tu immortalitatis donorumque vitæ quibus te ad me amandum obligarâ ratione seposita, & mortis comminatione qua à violatione præcepti abstinere te volebam contempta, in peccatum & mei offensam incurristi, nunc demum mortem mihi considera, cuius cliês effectus es: Colloca eam in sinu tuo, & fructum ex malo quod tibi

I 6 machi-



machinatus es, si quem potes cape  
 Incipe iam nūc peccatum odio pro-  
 sequi & euitare, postquam clade &  
 ærumna te affecit. Cū fructus ter-  
 ræ labore fractus & exhaustus com-  
 edes, vitam tuam cinerem esse cogi-  
 ta: Cū tellurem coles, cogita se-  
 pulchrū: Cū spinas, cū carduos  
 illa tibi progignet, flores eos esse  
 puta, & tumuli tui ornamenta. Me-  
 memento mihi mortis in omnibus tuis  
 actionibus, ac in omni loco occasio-  
 nem recordandi capias, quod opus,  
 quod factura pulueris, quod mortis  
 plasmasis: Cura vt huius memoria  
 saltem iam flagitio designato & nau-  
 fragio factō superbiam tuam com-  
 pefcat: Faciat te sapientio-rem expe-  
 rientia, illamque vt frenum habeas,  
 ne sæpius me offendendo poenam  
 longè hac morte temporali graui-  
 orem incurras, ad quam ego te nunc  
 cum tota tua posteritate condemno.  
 Hac ita sententia pronuntiata ami-  
 ctum ei criminis testem, pellem in-  
 iecit, quemadmodū antea diximus,  
 & in exilium locumque capitalem  
 eiecit in eo moriturum: & ecce se-  
 pultus



pultus fuit in monte Caluariae ciuitati Hierosolymorum metropoli populi Dei vicino, & postea ad id deputato, vt in eo supplicia de improbis ac sceleratis fumerentur, reuera ac si DEVS per humanas leges ostendere voluisset, locum hunc capitalem esse in quo ille sepultus foret, qui non tantum sibi sed & vniuersae posteritati mortem conciliauisset. Fuit haec admodum sententia veterum & constans opinio Doctorum Ecclesiae praecipuorum (solo D. Hieronymo excepto) *a* Ambrosij, *b* Cypriani, *c* Augustini, *d* Athanasij, *e* Origenis, *f* Theophylacti, *g* Euthymij, & plurimorum aliorum Scriptorum, quibus admodum placet Adamum eo in loco sepultum fuisse, vbi Christus fuit crucifixus. En protoplastum, & protoplastam! paulo ante ditissimos, nunc pauperrimos: en capita nostri generis Adae & Euae, ex nobilibus plebeios factos, in terram plebeiorum & reorum expulsos. Et audent se filij Adam de sanguinis antiquitate mirabiliter efferre & iactitare, cum solam domus suae habeant:

*a In c. 27.**Matth.**in c. 5. ep.**ad Eph.**b lib. 5. ep.**19. & in**c. 23. Lu.**c In serm.**de Res.**d Ser. 7.**de immo-**lat. Isaac.**e libr. de**Pass. Do.**f Trac. in**Matt. 25.**g in 27. c.**Matth.*



beant & adferre possint antiquitatem? Et audent nobilitatem monstrare velle ij, quorum maiores plebei & terræ filij erant, quiq; adeo ipsi turpissimis flagitijs obfiti sunt, reuera omnis contemptus & abiectiois fontibus? An ergo eorum scientia, consilia, arma, facultates, & vires vniuersæ magno huic Regi seruire non malunt, qui solus nobilitatem & illustres titulos conferre potest? Cur potius vitijs suis diabolo inferuiunt, qui aliud nec scit, nec vult, nec potest, quam seruos, quam mancipia ex ingenuis ac liberis hominibus efficere? Sic Adam, sic Eua pulsati sunt, quia voci illius auscultauerat, sic à Deo edocti fuerunt per vestimenta, habitationem, & labores, ut mortis meminissent, illiusque recordatione velut alexipharmaco contra peccatum vterentur.